FACTUM
COMITIS
ARGATHELIÆ
SEU DE
ARGYLL.

In quo continentur

Juramentum TESTA dictum, à Parliamento Regni Scotiæ, Anno 1681. pro Securitate Religionis & Regis, omnibus, præterquam Regis legitimis filiis & fratribus, injunctum.

UTI ETIAM

Excepta seu Objecta contra hanc Testam: una cum

Actione Criminali hâc occasione adversus dictum Comitem mota, & sententia gravissima desuper lata.

152

Anno 1684.

226. i. 350

FACTUM
COMITIS
ARGATHELIÆ
SEU DE
ARGYLL.

In quo continentur

Juramentum TESTA dictum, à Parliamento Regni Scotiæ, Anno 1681. pro Securitate Religionis & Regis, omnibus, præterquam Regis legitimis filiis & fratribus, injunctum.

UTI ETIAM

Excepta seu Objecta contra hanc Testam: unà cum

Actione Criminali hâc occasione adversus dictum Comitem motâ, & sententia gravissima desuper lata.

Anno 1684.

FACTUM COMITIS ARGATHELIÆ SEU DE ARGYLL.

POstquam Regi visum est, semel atque iterum, annis 1679, & 1680. Ducem Eboracensem in regnum Scotiæ ablegare, ut eum Parliamento Anglicano, illi tum temporis maximè offenso, eximeret; & cùm res illic, Dux, ad mentem suam ordinâsset, & comperisset quòd ratione constitutionis Parliamenti istius regni, planè diversæ ab ea quæ in Anglia obtinet, omnia à Parliamento Scotticano sperare liceret, statuit, cùm pro secunda vice in regnum illud secessérat, Regi suggerere ut Parliamentum ibi convocaret, atque ab eò expetit, ut ipsum, ad dictum Parliamentum tenendum, Commissionarium suum nominaret.

In quo Parliamento, cum Dux (nequaquam tamen professus veram Religionem Reformatam, prout omnes qui munere aut officio aliquo publico in isto regno gaudent, lege obligantur) locum suum cepisset, ac secundùm mandatum Regis, de Religione primò consuli cœptum esset, varia media & Actorum formulæ, ad eam melius conservandam, proponebantur: Sed cùm in istis omnibus ratificationi veteris cujusdam Statuti, quo præcipitur *Quòd omnes Reges, ac Regentes dicti regni, tempore suæ coronationis, aut susceptî regiminis, so-*

lenni

lemni juramento ſe aſtringere debeant, ad aſſerendam ac tuendam veram religionem Reformatam, imprimis inſiſteretur, tanquam proviſioni hac tempeſtate minimè omittendæ; & è contra, Dux jus & ordinem ſucceſſionis illius regni hoc vinculo ſolutum omnino vellet, omnia illa media aut neglecta, aut rejecta ſunt: nihilque aliud impetratum, quàm generalis, & brevis ratificatio omnium ſtatutorum quæ priùs facta, cùm pro Religione Reformata, tum adverſus Papiſticam, & *Teſſera* ſeu *Teſta* quædam, pro ſecuritate ejuſdem Religionis, quam Ordines ab omnibus munus aut officium aliquod publicum capeſſentibus, priùs jurandam & ſubſcribendam cenſuerunt, ſub pœna excluſionis & deprivationis, aliiſque pœnis, Statuto ea de re facto, contentis; expreſsè tamen huic exceptis Regis legitimis filiis & fratribus (i. e. impræſentiarum ſolo Duce Eboracenſi) etiamſi illos juramento hoc ligari regni maximè intereſſit. Hujus autem *Teſſera* tenor eſt ut ſequitur.

Ego A. B. ſolenni hoc Jurejurando affirmo coram Deo æterno, quem pro judice ac Teſte ſincera mea intentionis, in juramento hoc præſtando, invoco, me credere atque ex corde profiteri veram Religionem Proteſtanticam contentam in CONFESSIONE ILLA FIDEI, *quæ in acta publica relata exſtat* PARL. 1. JAC. 6. *Et quòd exiſtimem illam Scripto Dei verbo inniti, eique eſſe conformem; Et ego promitto ac juro, me eidem omnibus vitæ meæ diebus adhæſurum, conaturumque in ea Liberos meos enutrire; Nec me unquam conſenſurum ulli mutationi, aut alterationi ei repugnanti. Et quòd rejiciam & abnegem omnes iſtiuſmodi opiniones, doctrinas ac praxeis, ſive Papiſticas ſive Fanaticas, quæ aut contrariæ, aut minùs conformes ſunt dictæ Religioni Proteſtanticæ, ac* FIDEI CONFESSIONI. *Utque teſtatam faciam fidem à me debitam Clementiſſimo Regi meo* CAROLO SECUNDO, *hoc ſolenni meo juramento aſſero ac juro, Quòd dictus Rex ſit ſupremus hujus regni Gubernator ſupra omnes Perſonas, & in omnibus cauſis, tam Eccleſiaſticis quam Civilibus; Quódque nullus extraneus Princeps, Perſona, Papa, Prælatus, Status, aut Poteſtas, aut alius quicunque, aut habeat, aut jure habere poſſit ullam juriſdictionem, imperium, ſuperioritatem, præeminentiam, aut authoritatem Eccleſiaſticam, aut Civilem, intra hoc regnum: Ideoque prorſus abnego ac relinquo omnes extraneas juriſdictiones, poteſtates, ſuperioritates ac authoritates; ſanctéque promitto me debinc fidem veramque alligantiam dicto Regi, ejuſque hæredibus, ac legitimis ſucceſſoribus præſiturum; Quantumque in me eſt, me defenſurum ac propugnaturum omnia jura ac juriſdictiones, prærogativas, privilegia, præeminentias, ac authoritates ad dictum Regem, hæredes, ac ſucceſſores ejus legitimos pertinentia. Præterea, hoc ſolenni meo juramento, affirmo ac juro, Quòd judicem omnino nefas & illicitum, ſubditis ſub prætextu Religionis, vel alio quovis, fœdera aut ligas inire; aut convocare vel convenire in ullis conciliis, conventionibus, vel cœtibus, ad tractandum, conſultandum, vel decernendum de ullis rebus Statum ſive civilem, ſive eccleſiaſticum ſpectantibus, ſine ſpeciali Regiæ Majeſtatis juſſu, licentiaque ejus expreſſa ad id conceſſa. Aut denique arma levare adver-*

adversùs dictum Regem, aliosve authoritatem ab eo habentes. Et quòd nunquam ita arma assumam aut ejusmodi fœdera, aut cœtus ineam; Quódque nulla incumbat mihi obligatio vi ac virtute FOEDERIS *aut* NATIONALIS, *aut illius quæ* LIGA SOLENNIS *dicitur: Aut ex alia quacunque causâ attentare mutationem, vel alterationem ullam in regimine, aut civili, aut ecclesiastico, prout hodie legibus Regni stabilitum est. Et ego promitto ac juro, me totis meis viribus defensurum, ac propugnaturum dictam Regiæ majestatis jurisdictionem, contra omnes Mortales, ejusque potestatem ac jurisdictionem me nunquam declinaturum. Ita mihi Deus sit propitius. Ac denique affirmo, & juro, me juramentum hoc solenne jurare in plano ac genuino verborum sensu, absque ulla æquivocatione, mentali reservatione, aut alia quavis evasione. Quódque nunquam accepturus sim dispensationem aliquam ab ulla creatura, eâve usurus. Ita me Deus juvet.*

Sed cùm *Tessera* hæc, divisis consiliis composita fuerit, nitentibus quibusdam, ut eâ Presbyteriani præcipuè arcerentur, & ideo laxiùs & in genere tantùm de religione Reformata caventibus; aliis vero opinantibus, cautelam generalem circa dictam religionem minimè sufficere, si non relata ad Confessionem fidei certior redderetur: & interea urgente Duce Eboracensi, ut statutum ea de re, statim post primam lectionem expediretur, nullo concesso spatio, ad digerendas correctiones hinc indè postulatas. Hisce de causis evenit, ut quàm primùm tessera hæc publici juris facta sit, ceperint fere omnes, & præsertim Clerici, in ea notare insignes & palpabiles inconsistentias, contradictiones, & errores: quorum summa, ut Scriptis quibusdam divulgabantur, breviter huc redit.

Exceptiones adversus Tesseram.

EXCEPTIO I. Tessera hæc obligat ad credendam & profitendam Confessionem Fidei, quódque illi semper sit adhærendum, & nunquam consentiendum in ullam mutationem ei contrariam, sed ad rejiciendas omnes opiniones & praxes illi minùs conformes: Unde evidenter patet, Confessionem hanc Tesserâ omnino includi, & pro parte ejus non aliter habendam ac si in ea repetita & conceptis verbis inserta foret. Est autem Confessio hæc, prima illa à Reformatoribus Ecclesiæ Scoticanæ, annis 1560 & 1567 edita, & in Harmonia Confessionum contenta, quâ Reformatores illi postquam Principibus suis, ob Religionis causam, armis restitissent; & primò Matrem Regentem, deinde filiam Reginam, utramque Pontificiam, à regimine, propter implacabiles & intolerabiles earum persequutiones amovissent, & ecclesiam nostram in doctrina, cultu, ritibus & disciplina, secundùm normam verbi Dei, ad formam Ecclesiæ Genevensis, quantum fieri poterat, instituissent; Omni denique cautelâ Successorem Coronæ Pontificium regno arcuissent, hæc sequentia asserunt & profitentur, quorum oppositio & contrarietas reliquis Tesseræ partibus, ex collatione subjecta liquidò apparebit.

Confessio igitur hæc 1. asserit Cap. 11. *Jesum Christum esse unicum Ecclesiæ Caput & legislatorem; in quem honorem aut munus si quis Angelus aut homo se intruserit, eum tanquam blasphemum in Christum, detestandum esse*: Quo Confessionis articulo, & consequenter Tesserâ, cujus pars Confessio hæc est, manifestè damnatur potestas illa quam primus Papa usurpavit, & ab eo postea *Henricus* 8. Angliæ Rex sibi arrogavit, & hucusque omnes ejus Successores retinent; Eadem tamen Tessera in subsequente ejus clausula expresè exigit *ut Regem pro supremo regni gubernatore supra omnes personas, & in omnibus causis tam ecclesiasticis quam civilibus agnoscamus, atque ut hanc ejus prærogativam semper tueamur*: quâ prærogativâ, ut hodie explicatur, non tantùm illi tribuitur eadem illa potestas in ecclesiasticis quâ in civilibus gaudet; Sed ne cui dubium sit, hic planè asseri *Regem esse Ecclesiæ legislatorem*, quod Confessio & prior pars Tesseræ, tanquam in Christum blasphemum detestatur, recenti trium Ordinum statuto declaratur, *Quòd Rex, virtute dictæ suæ supremæ potestatis, non tantùm de politia & externo Ecclesiæ regimine pro arbitrio disponere & ordinare possit, sed quòd illi & ejus Successoribus, de omnibus cœtibus ecclesiasticis, rebusque inibi proponendis & determinandis, statuere & edicere pro lubitu liceat, & hisce edictis ab omnibus obtemperandum*: Quæ ampla & illimitata in sacris potestas, cùm Regi tanquam una & præcipua ex ipsius prærogativis, ad quas omnes defendendas & propugnandas, Tessera distinctè obligat, accenseatur, Quâ consistentiâ *Jesus Christus pro unico & Rex interes pro supremo & absoluto Ecclesiæ legislatore* agnosci possit, facile est dijudicare.

2. Confessio illa cap. 15. *bonis operibus* hæc adnumerat, *Principes honorare iisque morem gerere, innocentes protegere, tyrannidi resistere, & oppressos defendere; malis autem operibus*, hæc, *Non subjici, aut resistere iis quos Deus in legitima authoritate supra nos statuit, eatenus scil. dum muneris sui limites non transgrediuntur*. Et rursus cap. 25. asseritur *Potestatibus supereminentibus non obsistendum*, sed cum his limitationibus; viz. *cùm id quod est eorum muneris obeunt, & cùm vigilanter ei exequendo incumbunt*. Ex quibus evidenter patet, quàm conformis fuerit doctrina istorum Reformatorum ipsorum praxi suprà notatæ; & quemadmodum prior pars hujus Tesseræ asserendo dictam Confessionem, eandem doctrinam aperte astruat: Cùm tamen è contra, in alia sui parte expresè exigat, ut juramento solenni affirmemus, *Nefas & illicitum esse conventiones, aut congressus quosvis facere, fœdera inire, vel arma levare, non tantùm adversus ipsum Regem, sed nec adversus illius ministros, sive religionis defendendæ, aut alia quacunque de causa*; atque ita nec si atrocissima quævis contra religionem, libertates & vitas omnium machinentur & moliantur, & animo prorsus hostili immanissimam tyrannidem exerceant: quæ sanè non solùm est assertio satis iniqua, sed & contradictio apertissima.

3. Confessio prædicta cap. 19. hanc *unam* facit ex veræ Ecclesiæ *notis*, *disciplinam scil. Ecclesiasticam rectè administratam, prout verbo Dei præscribi-*

tur, quam procul omni dubio authores istius Confessionis intellexerunt *esse Genevensem & Presbyterianam*, quam ipsi stabilire adnixi, & quâ constanter sunt usi; & proinde vi hujus articuli, prædicta Tessera, ad hanc eandem disciplinam asserendam & tuendam, priore sui parte omnino obligat: Cùm tamen ex adverso, posteriore ejus parte liquidò affirmatur, *nullam juranti incumbere obligationem, vi & virtute ullius juramenti, aut alia quacunque de causa, attentare mutationem, aut alterationem ullam in regimine ecclesiastico, prout nunc legibus regni stabilitur*, quod regimen, ut omnibus notum, *Episcopale est & Prælaticum*, dictæque disciplinæ *Presbyteriana* quàm maximè contrarium: quæ evidenter sunt ἀσύστατα.

2. EXCEPTIO: Tessera hæc primis suis verbis strictissimè ligat *ad veram Religionem Protestanticam credendam, asserendam ac tuendam, quòd illi semper adhærendum, & nunquam consentiendum illi mutationi aut alterationi ei repugnanti, omnesque sive doctrinas sive praxes illi contrarias, abnegandas & rejiciendas.* Cùm tamen ex adverso jurantem sanctè promittere faciat, *se defensurum & propugnaturum omnia Coronæ jura & prærogativas*, inter quas prærogativas hanc esse unam, simul cum ipsa *Tessera*, ita ut de ea dubitari non possit, distinctè statutum est, *Quòd scil. veneamur Coronæ successorem recipere, eique tanquam Regi legitimo, statim a morte prædecessoris, fidem & obedientiam præstare, etiamsi diversa & Papistica fuerit religionis, noluerintque præstare juramentum, corona successoribus regnum capessentibus antiquitùs legibus præscriptum, pro conservanda religione Reformata:* Quâ ratione fit, ut eâdem hâc Tesserâ teneamur, violenter admittere successorem Coronæ, non tantùm Pontificium sine ulla legitima cautela, sed etiam plenè instructum supradictâ illâ supremâ potestate de rebus religionis & ecclesiæ ad summ arbitrium statuendi; Quæ sanè *est mutatio & praxis religioni Protestantica perniciosissima*; Atque ita eandem religionem Reformatam quam tantoperè initio hujus Tesseræ vovemus, postea eodem penè spiritu negligenter projicimus, & revera prodimus.

3. EXCEPTIO: Tessera hæc viam manifestò struit, non tantùm ad religionem evertendam, sed ad omnem tyrannidem introducendam, dum non tantùm remedia extraordinaria, arma sc. defensiva, quæcunq; subsit causa, damnat; sed etiam remedia ordinaria & omnino necessaria, quævis viz. *conventiones, cœtus aut consilia, etiamsi solummodo ad consultandum, aut supplicandum, religionis aut reipublicæ causâ*, tollit & reprobat.

4. EXCEPTIO: Dum *hierarchiam Episcopalem* stabilitam vult, non tantùm dictæ Confessioni quam initio asserit, directè repugnat, sed jurantem renunciare & abjurare facit *fœdera illa Nationale & Solenne* dicta, quæ ipsius Regis & Parliamenti authoritate, summoque totius populi consensu, *pro regimine ecclesiæ Presbyteriano & adversus Episcopale* sanctissimè Deo jurata sunt.

5. Denique: Dum *Tessera hæc omnem obligationem attentandi, quavis de causa, ullam mutationem vel alterationem in regimine, aut civili aut ecclesiastico,*

stico, prout hodie utrumque stabilitum est, abjurat; non tantùm supponit perfectiorem aliquem regni statum quàm res humanæ admittunt, sed & ipsi providentiæ divinæ adversatur, & priori juramento, quo omnes subditi, præsertim regni Proceres & regis Consiliarii, tenentur Regis & Reipublicæ commoda totis viribus promovere, planè repugnat, ejusque præstationi obicem ponit, idque meliore sui parte irritum reddit.

Sed post digressum Parliamentum, Dux Ebor. & Domini secreti Concilii advertentes exceptiones prædictas moveri tantùm à Presbyterianis & aliis inter Episcopales moderatioribus, qui soli pro addictioribus Religioni Reformatæ habentur, novam hanc *Tesseram* eò impensiùs æstimant; ità ut vulgò dictum sit, videri hanc Tesseram nunc usurpatam, non in Conscientiæ vinculum, sed ad discriminis notam, quâ veri Protestantes à simulatis, aut potiùs viri probi, qui jurisjurandi religionem verentur, à vafris qui eam nullatenùs curant, dignoscerentur. Et ideo prædicti Domini non solùm ordinârunt, ut dicta Tessera solenniùs, flexis scilicet genibus, juraretur; sed prævenientes diem à Parliamento dictum, omnes judices & regni Officiarios eam confestim jurare cogunt; & speciatim Comitem *Argathelia* sive de *Argyll*, tanquam unum ex Consiliariis Regiis & Fisci Commissionariis, ad jusjurandum hoc præstandum urgent.

Sed quoad Comitem, specialia etiam quædam suberant: nôrunt enim eum ampla possidere territoria cum clientelis, jurisdictionibus, aliisque privilegiis, quibus in ipso meditullio regionum montanarum & insularum Scotiæ, plurimum pollebat; habebatur etiam religionis Reformatæ fautor constans & eximius inter vicinos, quibus imminebat, Papisticæ superstitionis nimiùm tenaces, ideoque illi & ejus familiæ semper inimicos. In nupero denique Parliamento tam strenuè adnixus est pro securitate religionis Reformatæ, in eum præsertim eventum, quo successio Coronę in Principem diversæ religionis aliquando devolveretur, postulando & premendo, prædictum antiquæ Coronationis juramentum renovari, *& exceptionem illam fratrum ac filiorum Regis deleri*, ut Dux Ebor. primò eum privatim admonuerit, ut cautiùs ageret; dein licentiâ prius datâ, opem etiam præstiterit, duabus petitionibus adversus Comitem exhibitis, unam pro eo onerando magnis pecuniarum summis ad illum minimè pertinentibus; alteram, pro abolendis dictis ejus jurisdictionibus & privilegiis: Et cùm utrumque hoc telum justâ ac evidenti Comitis defensione repelleretur, aliæ excogitatæ sunt viæ quibus aliquando Comitis inimici eum subvertere sperabant, si fortè adinventum quod occasio supra notata obtulerat, non prævaluisset.

Comitis igitur adversarii, ita ut dictum, animati ac præparati, reminiscentes, eum à Tessera prout nunc stat, in Parliamento dissensisse, primò profectionem quam Londinum Regi invisendo adornabat, impediunt; dein, quàm primum à domo sua Edinburgum reversus est, eum ad Concilium vocandum curant, ut

Tesse-

Tesseram pro more juraret: & cùm Comes Duci privatim proposuisset, ut deliberandi dies à Parliamento concessus ei permitteretur, antè quem si non jurasset, ipsâ legis vi ejectus foret; hoc illi negatum, & insuper dictum, juramentum istud ab eo statim aut jurandum, aut recusandum. Cúmque eodem tempore Duci suggessisset quinam scrupuli eum malè haberent, *inconsistentia scil. reliquarum Tesserae partium cum Confessione fidei parte ejus praecipua, & quòd abjurare omnes legitimos conatus pro obtinendis bonis mutationibus in statu civils aut ecclesiastico sibi religio esset, cùm officio suo tam erga Regem quàm erga Deum repugnaret:* Quoad priorem Dux liberè fassus est, *insertione Confessionis Fidei Tesseram ita vitiari, ut nullus vir probus illam jurare possit*; Et quoad posteriorem, Comitem etiam monuit, *cautelam ejus esse nimiam, cùm Tessera neminem tam strictè ligaret.* Cùm denique Comes adhuc pronior esset ad recusandum quàm jurandum, nuncius ei allatus est, Duci placere quòd Comes sub explicatione juraret, & juramentum ejus ita praestitum illi pergratum fore.

Atque hac ratione Comes inductus se coram Concilio ad Tesseram jurandam sistere, cùm ea illi offerretur, primò, prout ei permissum est, explicationem suam declarat vivâ voce ac distinctè, eam versus Ducem & reliquos Consiliarios proferendo verbis quæ subsequuntur.

Consideravi Tesseram, & valdè cupio obedientiam praestare in omnibus, quatenus mihi possibile. Pro certo scio, Parliamentum nequaquam intendisse, exigere juramenta contradictoria: Ideoque existimo neminem posse explanare juramentum hoc pro alio, sed pro semetipso; Et idcircò Tesseram illam juro, quatenus sibi constat, & Religioni Reformatae congruit. Atque insuper declaro, mihi propositum non esse, juramento hoc ita me astringere, quominus mihi liceat, in statione mea & modo licito, optare & conari quamvis alterationem, quae profutura, aut Ecclesiae, aut Regno, mihi videbitur, nec Religioni Reformatae, nec fidei meae erga Regem repugnans. Et hanc meam Explicationem pro parte juramenti mei haberi volo.

Quibus verbis clarè enunciatis, cùm dictæ Explicationi nemo se opponeret, sed omnibus satisfactum appareret; pergit Concilii Clericus, jussu ipsius Ducis Ebor. juramentum more solito Comiti administrare. Et postquàm Comes jurasset, Dux benigno & hilari vultu præcepit, ut locum suum caperet, quod etiam factum.

Sed Comitis inimici, quos hæc ejus admissio angebat, aliâ viâ sibi procedendum rati; cùm Comes præter eorum spem jurasset, per Explicationem saltem, ab eo factam, eum irretire designant: Atque ut de verbis ejus quæ jam crimini vertere decrevissent, certiores fierent, censent eum postridiè rursus vocandum, ut Tesseram pro secunda vice, tanquam unus ex Fisci Commissionariis, juraret. Omnibus igitur ad id paratis, quamprimùm Comes juraturus, dixisset *se nunc jurare prout priùs*, quidam à Duce Eboracensi instructus, postulat, quòd Comes priora illa verba repeteret: Sed cùm Comes doli præscius, renueret, donec ab ipso Duce ei peremptoriè præceptum, & tum liberè professus esset, se verba sua in scriptum redegisse, jubet eum Dux scriptum illud exhibere; quo lecto & Comite semoto, ac iterum vocato, responsum est, illum *juramento suo Parliamenti statuto non satisfeciisse, & ideo locum in*

Concilio Regio retinere non posse; Cui regerens Comes, se verba sua si minùs placerent pro non dictis velle, & si pro recusante judicatus esset (quod ultimum ei metuendum) eum sese submittere, statim egressus est.

Verùm cùm verba ejus jam literis consignata haberent, atque inde occasionem desuper excogitandi & fingendi quicquid illis lubitum; Primò ipse Dux, dein Concilii Clericus, Comiti mandant, ut proximum Concilii conventum opperiretur: Quo tempore Concilii jussum ei nequaquam vocato allatum est, ut se immediatè in carcerem, Arcem sc. Edinburgenam, inderet; cui submissè paruit. Et postea Domini secreti Concilii, Comite prorsùs inaudito ac indefenso, ad Regem dant literas, in quibus *Comitis verbis planè mutilatis ac mutatis, quò facilius Regem in suam sententiam traherent, gravissimâ censurâ Explicationem ejus damnant*, & veniam eum accusandi petunt.

Quâ impetratâ, Comiti coram Dominis Justitiarii Quæstoribus rerum capitalium, diem dicunt, & eum in hunc modum incusant: *Quòd cùm legibus & statutis regni cautum, nequis mendacia aut falsos rumores effingat aut narret, ad gignendam discordiam inter Regem & subditos suos, sub pœna mortis & omnium bonorum: Nequis perversè & siniſtrè Regis statuta interpretetur: Quòd nemo præsumat loqui, scribere aut divulgare materiam aliquam infamiæ adversus Regis personam, Statum aut regimen, aut depravare ejus leges, aut gesta ejus calumniari, ad excitandam dissensionem inter eum & populum suum, sub pœna mortis.* Ac denique: *Quòd nemo præsumat impugnare dignitatem vel authoritatem trium Ordinum Parliamenti, aut procurare innovationem vel diminutionem eorum potestatis vel authoritatis, sub pœna criminis læsæ majestatis. Attamen tu* Archibaldus Campbellus Comes Argatheliæ, *cùm à Dominis Secreti Concilii requireberis Testam seu Tesseram jurare, loco juramenti à te præstandi, in ipsum statutum quo injungitur, invectus, id acerbè defamâsti, & adversus illud libellum infamatorium scripsisti, dispersisti, & publicè agnovisti, in quo dicis* te considerâsse Tesseram, & valdè cupere obedientiam præstare, quatenus tibi possibile: *Quibus verbis innuis, te non potuisse præstare obedientiam absolutam.* Quòd pro certo sciebas, Parliamentum nequaquam intendisse exigere juramenta contradictoria: *Quâ ratione conaris populo fidem facere, quasi Parliamentum adeò fuisset impium & ridiculum, ut de facto exegisset juramenta contradictoria & ipsorum menti directè contraria.* Quòd unusquisque debeat hanc Tesseram sibi explanare, & in proprio suo sensu jurare: *Quo non solùm hæc lex & juramentum hoc, sed ompes alia leges & juramenta redduntur regimini inutilia, & potestas legislativa Parliamento adempta, persona juranti attribuitur; Quod est non tantùm leges depravare sed potestatem legislativam in privatos transferre.* Quòd Tesseram juras quatenus duntaxat sibi constat, & Religioni Reformatæ congruit: *Quâ ratione malignè insinuas juramentum hoc sibi non constare, nec Religioni Reformatæ congruere; & proinde actum Parliamenti depravas, gesta Regis & Parliamenti calumniaris, eosque ad populum malitiosè accusas.* Quòd tibi propositum non est juramento hoc ita te astringere, quominus tibi optare & conari, modo legitimo, liceat, quod tibi expedire, videbitur in Reip. & Ecclesiæ commodum: *Quibus verbis apertè profiteris, te solutum obliga-*

tione

tione hujus Tesseræ, & aliet ad idem sentiendum invitas, decrepitis ritere qualescunque innovationes in utroris statu attentare.. Et ultimò dixit, te velle Explicationem hanc pro parte juramenti tui habere: *Quæ proditoria est invasio potestatis legislativæ, quasi tibi concessum esset actum Parliamenti, aut quamvis ejus partem tibi condere. Cum igitur tu* Comes Argatheliæ *istorum criminum actor aut particeps sis, pœnâ mortis, & amissionis omnium bonorum, plectendus es, ad terrorem & in exemplum aliorum.*

Atque hujus Libelli Accusatorii exemplari Comiti tradito; Cumque non sine maxima difficultate ob minas, non obstante legis provisione, à Duce jactatas, Comes Advocatos obtinuisset, die adveniente, in Curiam cum custodia militari, aliisque solennitatibus adductus est, non minori apparatu acsi gravissimè perduellionis reus ageretur: & ibi post publicam libelli lectionem, circumpositis armatis, causam apud judicem dicere coactus est.

Et primò ipse Comes ad diluendam invidiam, & emollendam omnium tam atrocium criminum suspicionem, brevi & perspicuâ oratione, totam vitæ suæ rationem exponit; Quomodo scilicet *à prima usque adolescentia, tam bello quam pace, tam in adversis quàm prosperis Regi intemeratam fidem servârat, & non minus insignem operam sæpius præstiterat*; Dein Comitis advocati ad ipsam accusationem mollia & plenè responderunt. Cujus defensionis hæc fuit summa. *Quòd nempe verba quorum Comes accusabatur, sub legibus in libello contentis, minimè caderent, nec ad ea dicta leges omnino pertinerent.*

Primò, Quia constat ex ipsis verbis & omnibus eorum circumstantiis, quòd 1 Comite prolata sint 2 permissione ei priùs concessâ, 3 hoc tantùm fine ut in negotio juriisjurandi liquidò juraret. 3 coram Dominis secreti Concilii & nullis aliis 4 arbitrio cum maximâ submissione ibi delato, ea approbandi aut rejiciendi. Et 5 quòd ea revera approbaverint, nec alia de causa literis à Comite commissa sint, quàm memoriæ gratiâ, & in majorem Conscientiæ suæ securitatem, nullo alio exemplari ulli aut tradito, aut communicato, præter illud jussu Concilii ipsis exhibitum; Ita ut cum verba sint in se planè innocua, vestitaque circumstantiis, tam favorabilibus, impossibile sit ea detorquere in objecta calumniandi, depravandi, & læsæ Majestatis crimina, absque violenta & manifesta eversione omnium regularum sermonis, & topicorum rationis & humanitatis.

Secundò, Quia uti & Lex & Ratio permittit Comiti verborum suorum interpretationem, & præterea dictant in hujusmodi casibus *benigniorem interpretationem præferendam*, ita certum est, quòd dicta verba non tantùm sincerè & optimo fine enunciata sint; sed etiam sensum maximè sanum, justum & legitimum ferant, prout per facilem ac genuinam hanc paraphrasin manifestum apparet: Cùm juramentum quod juraturus sum, sit de rebus summis, & valde solenne, & tamen multis vexatum objectionibus, præcipuè à Clero; *Consideravi Tesseram*, & cùm procul habeam procacem & obstinatam recusationem, motus Parliamenti authoritate, & maximis & optimis rationibus quibus innixa est, *valdè ipsis præstare obedientiam*, ut in omnibus, ita ejus statuto, & vestræ requisitioni *quatenus mihi possibile*,

sibile, & per conscientiam licet; quod persuasum habeo, à vobis Christianis Magistratibus unicè exigi & expectari. *Pro certo scio*, non obstantibus illis omnibus contradictionibus & inconsistentiis à multis adversus juramentum hoc objectis, *Parliamentum nequaquam intendisse exigere juramenta contradictoria*: Et ut hoc asseram & tester, Parliamenti honor me obligat; *Ideoque existimo neminem posse explanare juramentum hoc pro alio*, sed pro semetipso i. e. Quòd tot nunc motis controversiis & ambiguitate hujus juramenti ab ipso Concilio agnitâ, nemo privatus sensa sua aliis imponere possit, aut glossis suis, forsan malè intellectis, iis negotium facessere, sed ut quemque pro se jurare oportet, ita debet eam sibi interpretari, indagando quisnam fuerit Parliamenti sensus, qui proculdubio est tesseræ hujus sensus verus ac genuinus; *Et idcirco illam juro quatenus sibi constat*, prout revera in sensu Parliamenti exactissimè constat, non obstante omni quod in eam excipitur, *& quatenus religioni reformatæ congruit*, cujus securitas prout illa in Dei verbo fundatur, & in Confessione fidei expressa est, principaliter à Parliamento intendebatur. *Atque*, cùm sim non tantùm Regis subditus, jurejurando fidelitatis ei adstrictus, sed etiam Regi à Consiliis ac supremi in Parliamento ordinis unus, & ita obligatus ad consulendum & assistendum, quantum in me est, pro Regis & regni commodis; *Insuper declaro, mihi propositum non esse, juramento hoc ita me astringere, quominus mihi liceat secundùm præfatas priores & legitimas obligationes, in statione mea, & modo licito, optare & conari quamvis alterationem*, disclamando semper omnes illicitos conatus & alterationes, *quæ profutura aut ecclesiæ aut regno mihi videbitur, Religioni Reformatæ, & fidei meæ erga Regem*, eadem nempe quam illi ego & omnes debemus, *non repugnans. Et hanc meam Explicationem haberi volo pro parte* nec ipsius tesseræ, nec acti Parliamenti, sed pro parte *mei juramenti*, ac conditione tesseræ adjecta; quam etiam cum omni submissione vestro permitto arbitrio, ut eam approbetis aut reprobetis, prout vobis placuerit. Qui sensus cum sit verus, genuinus & planus sensus verborum à Comite emissorum, & porrò officii & honoris erga Regem & Parliamentum plenus, satis superque refutat omnes perversas illas detorsiones & sinistras interpretationes in dicto libello allegatas.

Tertiò, Quia ratiocinationes quibus Fisci Advocatus in dicto libello utitur ad elicienda è Comitis verbis crimina objecta, manifestò supponunt, & fundantur in propositionibus planè falsis, imò nefandis, quas solùm repetiisse est refelliisse, suntq; hæc: Quicunque dicit se tantùm velle obedientiam præstare quatenus ei possibile, novam omnibus monstrat viam ad declinandam omnem obedientiam. 2. Quicunque in casu juramenti à Parliamento requisiti, vexati tamen innumeris exceptionibus quibus nihil responsum, & ab ipso Concilio pro ambiguo agniti, dicit pro Parliamenti honore, se pro certo scire Parliamentum nequaquam intendisse requirere juramenta contradictoria, Parliamentum probrosè calumniatur. 3. Quicunque dicit oportere se in casu ambigui juramenti, illud priusquam id suscipiat pro se explanare, omnes leges & juramenta reddit inutilia, & se legislatorem constituit.

4. Qui-

4. Quicunque profitetur se Tesseram jurare, quatenus sibi constat & Religioni Reformatæ congruit, nihil jurat, & Parliamentum 1 esserę authorem infamiâ notat. 5. Quicunque declarat sibi propositum non esse juramento ita se astringere, quominus licitè conetur alterationes quas Regno & Ecclesiæ profuturas, & veræ religioni, & fidei suæ erga Regem congruas existimabit, se ipsum & omnes alios ab omni fide erga Regem & à vinculis regiminis solutos & liberos ad quasvis alterationes machinandas & procurandas, declarat. Et 6 Quicunque Tesseram sub explicatione jurat, & eam pro parte juramenti sui haberi vult, sibi acta Parliamenti cudit & in potestatem legislativam involat. Quæ propositiones evidenter absurdæ & deridiculæ, cùm non minùs necessariæ sint inferendis conclusionibus dicti libelli, quàm in eo manifestè suppositæ, simplici sui exhibitione calumniam hujus Accusationis apertè arguunt & demonstrant.

Quartò, Quia per eandem horrendam Logicam quâ Advocatus Fisci hîc utitur, patet qualecunque delictum aut meram non-obedientiam, imò simplicem Tesseræ recusationem, quæ tamen lege licita est, posse iisdem consequentiis urgeri, eorumque authores dictorum capitalium & atrociſſimorum criminum accusari: e. g. si quis Tesseram jurare abnuat, aut quævis tributa non solvat, continuò de eo actum est; Non enim legi obtemperat, & proinde secundùm novam hanc logicam, legem aut injustè aut ineptè latam judicat, nec obedientiam ultrà præstat quàm possit aut ei placeat; atque ita omnes leges irritas facit, & Regem & Parliamentum calumniatur; & quod majus est, eorum authoritatem impugnat & eandem sibi assumit, sibi ipsi legem statuens, eiq; tantummodo morem gerens; ideoque reus est criminum calumniandi, depravandi Regis & regni leges, & etiam læsæ majestatis. Quæ illationes cùm sint apertè violentæ & planè barbaræ, eâdem ratione injustitiam hujus libelli arguunt.

Quintò, Quia Comes probaturum se obtulit; Explanationem Tesseræ ab Episcopo Edinburgensi Concilii consensu editam, uti etiam explanationem ab ipso Concilio in usum Cleri datam eodem die quo Comes coram iis se stitit, continere omne id quod in Comitis Explicatione continetur (ut missa faciam quę ampliùs in iis reperiuntur, ipsius scil. Tesseræ inversio, sensui Parliamenti directè contraria, dum non Fidei Confeſſionem Regulam Religionis Reformatæ, sed Religionem Reformatam pro termino nimis generali & vago à Parliamento repudiatam, regulam Confessionis statuunt) quamobrem Comes non tantùm optimâ fide exempla tam publica & gravia imitatus est, sed etiam planè impossibile videtur posse id à judicibus condemnari tanquam calumniæ & læsæ majestatis crimen, quod ab ipso Regis Concilio, & consequenter ab ipso Rege, tam clarè comprobatum est. Nec huc omninò pertinet quod Advocatus Fisci regerebat, *Litere* scil. *Regi in criminibus quemque prosequi aut condonare prout ipsi libuerit, atque mille forsan præteritis, in unum Comitem incumbere*; Quia etiamsi hoc durum, extendendam tamen Regis gratiam quam novit esse liberam, Comes nunc non poscit, nec de ea queritur; sed hoc solummodo urget, nec ipsum Regem, nec Dominos Concilii, nec denique judices posse in ipso condemnare tanquàm falsa & criminalia, quæ in aliis vera & justa reperta sunt, ni

velint præclarissima exempla in scandala pernicioſissima verti, atque ipsos authores eorundem criminum, quæ in aliis puniunt, contra rationes fundamentales omnis societatis & Rationis humanæ.

Sextò, Quia probandum in se Comes recepit, prout profectò manifestum ac notorium est, Explicationem ab ipso datam, fuisse directè & clarè ab ipsis Concilii Dominis approbatam & acceptam, atque ita non amplius fuisse Comitis eam proponentis & quasi stipulantis, sed reverâ justissimâ Legis & Rationis interpretatione, ipsius Concilii respondentis & annuentis; eodem prorsùs modo, acsi præeunte Comite Clericus Concilii simul cum ipsa tessera Comitis explicationem repetiisset, & ita conceptis tum Tesseræ tum explicationis verbis, juramentum illi administrâsset. Nam cùm Comes, ut prædictum, veniâ priùs concessâ, explicationem suam præmiserat, & eam pro parte juramenti sui haberi rogaverat, & è contrà, Concilium consenserat, & juramentum ita præstari permiserat, continuo totius hujus actionis tenore evidentissimum est, Comitem hujus explicationis reum peragi non posse, cùm ad Concilium ipsorum ratihabitione tam planè pertineat, quàm explicatio altera, & sanè pejor, ab iis Clero indulta; atque ideo Comitem & Concilii Dominos esse ex æquo criminis immunes, & Comitem omninò absolvendum.

Septimò, Quando postero die Comes verba sua recensere coactus est, & illa, ut dictum, non placere sensit, etiamsi pro se habuit Concilii approbationem pridiè datam; tamen adeò ab omni offensa, multò magis à criminibus atrocissimis nunc objectis, cavebat, ut verba potiùs retractata, & se pro recusanti haberi maluerit, quàm Concilio vel levissimam offensionis ansam aut umbram præbere. Quæ retractatio in materia verborum cum bona venia & omni submissione dictorum, proculdubio in jure sufficiebat ad omnem injuriam tollendam, ejusque memoriam perpetuò delendam.

Octavò, Quia sanè omnem captum superat; quî verba Comitis in dicto libello notata, vel minimam offensionis causam, multò minùs gravissima crimina objecta inferre potuerint, cùm certum ac evidens sit 1. Professionem à Comite factam de *obedientia præstanda in quantum ei possibile*, esse planè Christianam & officii plenam. 2. Assertionem ejus de sincera Parliamenti voluntate, & quàm longè abfuerit à *juramentis contraditoriis imponendis*, honorificam ac tempestivam fuisse authoritatis & dignitatis Parliamenti vindicationem, eo præsertim tempore quo multi & voce & scripto minùs reverenter de eo judicabant. 3. Quòd dictum ejus, *oportere* scil. *unumquemque Tesseram sibi interpretari*, cùm ambiguitas ejus esset in confesso, sine ullo levamine, unicus erat exitus quem quivis sensatus, ne dixerim probus, in tali casu invenire posset. 4. Quòd declaratio ejus, *se* scil. *Tesseram jurare quatenus* (nam *duntaxat* in libello repertum, additamentum erat Advocati regii) *sibi constaret, & Religioni Reformatæ congruit*, præterquam quòd impium & intentioni Parliamenti contrarium fuisset aliter juraſſe, solummodo facta fuerit ratione inconsistentiarum ab aliis objectarum, & multò sensui Parliamenti convenientius, quàm cum Concilio dixisse, In Tessera non assentiri singulis propositionibus in Confessione fidei contentis, sed tantùm veræ religioni reformatæ. 5. Quòd professio ejus, *sibi propositum non esse juramento*

mento hoc ita se astringere, quominus ei liceat, in statione sua, & modo licita, conari & procurare alterationes regno & ecclesiæ utiles, religioni & fidei erga Regem non repugnantes, veritas erat ab ipso Duce Ebor. agnita, distinctissimè & tutissimè à Comite expressa, reservatio denique Comiti omnino necessaria, respectu juramentorum alligantiæ & fidelitatis quibus priùs erat innexus. Et ultimò, quod clausula à Comite addita, qua *explicationem suam pro juramenti sui parte haberi volebat*, nihil innuebat quod non in se verissimum & in casu cujusvis explicationis aut conditionis cuicunque juramento adjectæ, certissimum. Nunc concurrant omnes quicquid ubique est hominum ratione utentium, & posito omni favore & odio, diligentissimâque factâ inquisitione, liberè dicant, an in hisce verbis vestigium aliquod inveniant istorum criminum quorum postulantur, & an ea præfato modo protulisse, sit aut mendacia & calumnias ad movendam discordiam, finxisse, aut Regis leges & gesta depravasse, multò minùs authoritatem & dignitatem trium Parliamenti Ordinum impugnâsse? Et an non istiusmodi accusationes instituere, & libellos accusatorios insuper exhibere, sit leges ipsas prostituisse, judicia profanâsse, omnem legitimi regiminis vim corrupisse, nihilque tutum cuivis reliquisse, sed ipsi planè rationi omnique hominum securitati illusisse? Et sic fuit dictæ defensionis summa.

Expectet hic forsan aliquis brevem saltem enarrationem eorum quæ Advocatus Fisci, ad sustinendam suam accusationem è contrà replicuerit: sed cùm revera sit magè pro forma, quòd Comitis defensiones exhibuerim, quàm quòd eas necessarias ad refutandum libellum tam insulsum, duxerim, Atque nihil planè repositum sit, aut potius reponi potuit, quàm vana repetitio & exaggeratio ad nauseam usque earundem absurdarum detorsionum & illationum, spero lectorem hujus omissionis facilè mihi gratiam facturum; præsertim cùm neminem latere possit, eos quibus non defuit voluntas verba tam vera, pia, & honesta cum ipsorum bona venia prolata, & ab ipsis approbata, in crimina tam atrocia detorsisse, & accusationem adeo absurdam super iisdem adornâsse & foviisse, nec curaturos fuisse defensionem validissimam, aut replicam ullam desiderâsse.

Et ideo finitâ dissertatione, Domini Justitiarii prout præparati erant, i. e. tres contra duos, sine ulla dilatione, quamvis in multam noctem disceptatio excurrerat, *sententiam* suam *interlocutoriam* pronunciant, *quâ omnes Comitis defensiones repellunt, & libellum rectè conceptum & ordinatum judicant, ad inferenda crimina calumniandi, depravandi, & læsæ majestatis, pro infligendis pœnis amissionis vitæ & omnium bonorum, aliisque legecautis, & illum Fisci Advocato probandum remittunt.*

Electis igitur, & pro more constitutis quindecim Juratoribus ex quadraginta quinque, ab Advocato Fisci nominatis (quorum etiam quindecim quidam priùs Comitem condemnârant, subscribendo literis antedictis à Concilio ad Regem perscriptis, atque ita sententiam seu testimonium suum prodiderant, uti eorum alii diligentissimè adversus eum actitaverant) & coram istis Juratoribus, tribus productis testibus, quorum unus Consiliarius, & duo reliqui Consilii Clerici, qui omnes hoc solummodo testati sunt, *Quòd die antedicto, Comes dictam explicationem Tesseræ non subscriptam, quamque signa-*

linguæ recusavit, exhibuerat; hoc amplius ab uno eorum addito (uti & cæteris & notum, & omnibus notorium erat) *quòd eandem explicationem à Concilii Dominis acceptatam viderat*, Juratores unanimiter *veri-dictum* seu sententiam hanc reddunt, *Comperisse se Comitem reum criminum læsæ majestatis & mendacia & falsos rumores fingendi, & divulgandi*: Et tunc rursus Domini secreti Concilii ad Regem scribunt, minimè tamen transmittentes particularem illam narrationem criminum quorum Comes compertus fuerat, prout Rex responsione sua ad primas eorum literas illis præceperat, sed tantùm in genere dicentes, *Quòd post plenam disceptationem, & evidentem probationem, Comes reus criminum læsa majestatis, & mendacia fabricandi, judicatus esset; à Rege veniam postulant, ut ad sententiam condemnatoriam adversus eum ferendam illis procedere liceret.*

Sed Comes persuasus omnem spem nunc decollâsse, & post processum tam rigidum, extrema tantùm ei expectanda, fugâ unico remedio ei reliquo, ex arce Edinburgena quâ adhuc custodiebatur, priusquam Concilium responsum Regis, de quo non dubitabatur, haberent, consulere sibi statuit: Atque ita favente Deo, & pridiè tantùm adventûs responsi regii, licentiam pronunciandi sententiam, suspensâ tamen executione, concedentis, feliciter elapsus est.

Domini autem Justitiarii licentiâ Regis & Concilii suffragio instructi, nihil morantes Comitis aut fugam aut absentiam, postridiè conveniunt, atque sententiam quæ sequitur in plena Curia pronunciandam curant, Quâ scil. *Decernunt & adjudicant præfatum Comitem morte multandum, & tanquam perduellem puniendum, eique quam primùm deprehensus fuerit, infligendas pœnas læsæ majestatis, omnesque alias legibus statutas, & Nomen, Memoriam, & Honores ejus delendos, & Insignia familiæ suæ dilaceranda; ita ut ejus posteri omni tempore futuro incapaces sint cujuscunque officii, tituli, aut dignitatis infra hoc regnum fruendi; & quòd ipse planè amiserit omnes terras & bona sua Regi in perpetuum.* Atque hæc sententia in Curia recitata & ad crucem foralem civitatis Edinburgenæ publicata, insignia Comitis jussu Dominorum, illic etiam lacerata & inversa sunt.

Et hac quidem ratione Comes non tantùm peccati reus peractus est *propter verbum*, sed propter verba honesta, fidelia, & pia, reus judicatus & condemnatus maximorum criminum, mendacia sc. fabricandi, leges & gesta Regis depravandi, & læsæ majestatis, & planè in omnibus eâdem severitate tractatus, ac si concepisset & perpetrâsset atrociissimum perduellionis scelus.

Nec hîc tamen cessavit adversariorum ejus malitia; sed postquàm Regi persuaserant, omnia Comitis bona tam immobilia quàm mobilia occupare & fisco vindicare, & de iis ad ipsorum lubitum disponere, non aliter acsi Comes in vivis amplius non esset, in regionibus porrò exteris, acri & persequaci suo odio, eum latitare vix permittunt, ac loca sæpius mutare cogunt. Sed Deo qui hactenus opportuna ei providit refugia, patienter & placidè causam suam committit: Ab eo tum suis, tum omnium proborum afflictionibus felicem expectans exitum.

FINIS.